

CAPVT I.

CAVSAS BELLISACRI EXPONIT.

Σύνοψις.

- §. 1. Cur Deus, pacis amator, permittat bella?
- §. 2. Bellum pace quandoque utilius.
- §. 3. Ratio prima, cur militare iubeamur. Quid Sacra-
- §. 4. Ratio secunda & tertia.
- §. 5. Rationes aliae.
- §. 6. Pacis studium quousque se extendat?
- §. 7. Quibus militandum?

§. I.

NON raro animum miratio subiit, quod magni regnator Olympi, e cuius pendet nostra fauore salus, qui in Scripturis passim vt pacis amantissimus depraedicatur, perpetuos conflictus, variasque non nisi morte finientas decertationes in ecclesia prudenti gubernationi suae subiacente permittat. Quid est, cur summus iste pacis dator pariter atque fator, Christus, qui ad significandum *εἰρηνοποιός* studium suauissimo consilio, haud alio, quam laeto pacis tempore in terris nasci voluit, qui nullibi nisi in pacis loco habitare promisit, qui pacem suam in testamento discipulis reliquit, eamque omnibus precari mandauit, imo qui tot laboribus & doloribus praestantissimum hocce donum credentibus acquisiuit, Esa. LIII, 5. solosque pacificos in filios adoptare decreuit Matth. V, 9. eaque propter iam pridem Principis Pacis Esa. IX, 6. & *Θεὸς τῆς εἰρήνης*, 1. Thess. V, 23. titulum promeruit, cur, inquam, verbum hoc non enarrabile Patris, quem merito mundi machina tota stupet, continua cultorum suorum inquietudine vsque adeo delectetur, vt, quas facile reprimere posset, hostium assiduas tumultuationes, sedato animo ferat? quinimo aperte confiteatur Matth. X, 34. *Nolite arbitrari, me venisse conciliatum pacem in terris: non veni conciliatum pacem, sed bellum.* Cur quaeso illi, quibus concor-